



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 21. Collegium Nobilium a Sancto Carolo Borromæo erectum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1575

*Spond. hoc  
ann. n. I.  
Ciacon. in  
vit. Pontif  
t. 4. pag. 8.*

Ineunte Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto universale Jubilæum, cujus initium antea retulimus, fuit inchoatum, quamplurimis Principibus Romam confluentibus, atque inter alios ibi aderant Magnus Etruriæ Dux, Alexander Farnesius Parmensis Princeps, Paulus Jordanus Ursinus, & Carolus Fridericus Clivienfis Dux, qui nonnisi viginti annorum juvenis ibidem die nona Februarii vivis ereptus in Teutonica sanctæ Mariæ Ecclesia sepultus est: insuper ipse summus Pontifex quatuor Basilicas pro lucrandis indulgentiis designatas sancti Petri, sancti Joannis Lateranensis, Divi Pauli, & sanctæ Mariæ Majoris sæpius lustrabat, atque genibus reptans, prout moris est, Sacram, ut vocant, Scalam conscendit, providitque, ut Urbs annona copiose abundaret, atque ædes Pontificiæ exteris paterent, necnon egentes amplis largitionibus juvarentur.

§. XXI.

*Collegium Nobilium a sancto Carolo  
Borromæo erectum.*

*Giussano vie  
de S. Charles  
l. 3. c. 4.* Priusquam sanctus Carolus Borromæus  
Mediolanensis Archiepiscopus, qui  
pariter ad celebrandam Anni sacri  
festivitatem invitabatur, Romam con-  
tende-

tendebat, Mediolani Nobilium Collegium pro educatione juvenum genere illustrium erexit, illudque sanctæ Mariæ Collegium nuncupavit, insuper ut hi, qui ibidem instituendi essent, non modo ingenue, sed & christiane educarentur, saluberrima condidit statuta, præciens, ut ex cunctis Nationibus etiam exteris reciperentur, qua ratione hoc Collegium confluentium frequentia admodum celebre reddebatur, quamvis autem illius curam Viris non nisi probatæ virtutis, ac regendi dexterritate claris commisisset, ipse tamen sæpius per annum hosce juvenes invicens illorum in virtutibus, ac literis progressum explorabat, atque piis hortationibus munitos, quotquot digne ad sancta Sacramenta accedere poterant, sacra Synaxi ipse reficiebat, hoc pium opus tantopere cordi habens, ut Sylvio Antoniano, qui ei jam dudum a secretis, & postea a Clemente VIII. Cardinalis fuit creatus, negotium daret, quatenus de meliori juvenes præcipue nobiles Christiane instituendi methodo librum elucubraret, quem Borromæus perlegens ad Veronensem Cardinalem transmisit, ut desuper ejus quoque judicium perciperet: cum ergo hic Purpuratus hunc libellum oppido utilem fore censeret, illum typis vulgatum

Sæcul. XVI.

A.C 1575.

Sæcul XVI. tum sancto Archiepiscopo nuncu-  
A.C. 1575. pabat.

## §. XXII.

*Sancti Caroli epistolæ Pastorales pro  
 jejunijs Adventus tempore  
 servando.*

*Giuss. l. c.  
 Hist. Eccl.  
 Med. pag 7*

Cum sanctus Carolus non sine animi dolore cerneret, quod fideles de præparatione ad nascentis Salvatoris nostri solemnitatem digne celebrandam parum solliciti essent, hinc primitivæ Ecclesiæ disciplinam, quæ Adventus tempore in usu erat, restaurare nitentur: jam enim apud suos domesticos abstinentiam a carnibus, ovis, ac lacte præter alios jejunii dies intra hebdomadam introduxerat: verum pium hoc opus intra larium suorum fines duntaxat exerceri nondum contentus epistolam Pastoralem ad suum populum Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo tertio edidit, in qua veterem Ecclesiæ usum exponens cunctos fideles suæ curæ commissos hortabatur, ut hanc disciplinam resuscitarent, ac saltem a publicis festis, jocis, & convivijs tempore adeo sacro abstinerent, quatenus gratias per Dei Filium, ejusque Nativitatem mundo procuratas recipere mereantur. Nec suo successu caruit hæc epistola; quippe vix non omnes